






1781, 4 22
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

VANO METV 
**SVBORNATIONIS IN REPETENDO
EXAMINE TESTIVM**

P 481

SECTIO PRIOR



QVAM
CONSENTIENTE INCLYTO ORDINE
IVRECONSULTORVM
IN ACADEMIA FRIDERICIANA BVETZOVIENSI
SINE PRAESIDE
PRO OBTINENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS

DIE XIX. OCTOBRIS MDCCLXXXI.


H. L. Q. C.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTET

**FRIEDERICH WILHELM
STAVENHAGEN**
BVETZOVIENSIS.


BVETZOVII

M. D. C. C. LXXXI.



DISSERTATIO IN ACADEMIA VITAE

VANO METIV
SVMONIAKORINRIKIVTENDO
EXAMINE TESTIVM

SECTIO PRIMA

CONSTITUTIO

IN ACADEMIA VITAE

SECTIO SECUNDA

PRO OBTINENDIS

GRADIBUS IN ACADEMIA VITAE

HONORARIIS

DE ACADEMIA VITAE

WILHELM

127


UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG





Accipe, beneuole Lector, Sectionem primam dissertationis inauguralis, quam integram dare animus mihi quidem et propositum erat, at impediuerunt tum penuria temporis, tum variae rationes aliae, caeque satis praegnantes. Quid praestet praefens haec Sectio prior, facillime intelligitur ex ipso adspectu: exhibet enim ea, quae quidem, uti puto,

sufficere poterant ad excutiendum hunc metum, quem
rubrum loquitur. Occupata Sectio posterior erit circa
dubia diluenda, quae dictis poterant nihilominus ob-
moueri. Hanc volente Deo propediem expectes; dum-
modo studia tibi mea prorsus haud displicere sat anim-
aduerterim. Omnibus probari nec potero quidem,
nec vnquam cupio. Sufficiet interim iudicium bono-
rum; et, hi si annuent conatibus meis, sat eo ipso
me praemii laboris iam consequutum laetabundus exi-
stimabo. Vale; et si alicubi forsan errasse me vides,
benigne, velim, errori ignoscas. Dabam Bützouii
pridie Kalendarum Octobris M, D, C, C, LXXXI.



SECTIO



SECTIO I.


§. I.



Quod suo iam olim aevo conquestus est PLAV-
TVS D:

*Heus tu, inquiens, nostra aetas non multum
fidei gerit,
tabulae notantur; adsunt testes duodecim;
tempus locumque scribit Aëtuarius:
tamen inuenitur rhetor, qui factum negat,*

id rudem sane rerum quae in foro tractantur esse oportet, qui suo modo transferri nostra ad tempora posse haud lubens profiteretur. Eo res enim deuenit et aduocatorum et litigantium ipsorum malitia, ut, experientia teste, id vnice fere sibi darum esse existiment, viribusque quasi omnibus in id enitantur, ut, vel in causa iustissima, aduersarium vexent; et quantum quidem in ipsis, si non plane frustraneum, certe impeditum et difficillimum illi litis euentum reddant. Inter haec artificia (neque enim huius est loci omnia recensere, et quis
A 3
quaeso



quaeso quoque caperet mille modos technarum, fraudum, et machinationum abominabilium!) haud leue quoque ponunt in eo praesidium, vt, si vel nullam aliam elabendi viam sibi commodam ducunt, perfracte negent; vt nullam fere causam venturari in foro facile videris, ad quam litem haud negatiue reus sit contestatus. Quod quod perniciosius administrationi iustitiae; quid enim aliud euenire inde iam potest, quam vt suo fraudetur alter, et saepe victus discedat, non quia ius ipsi sed probatio deerat: eo maiori merito cura obuam huic malo leges iuerunt. Vt taceam introductum legibus nostris ²⁾ nouum, romanisque incognitum genus processus, puta executiui, in quo iam parum proficient nudae simplicesque liquidissimis probationibus haud suffultae negationes; ipsae adeo leges romanae saluberrime multa hanc in rem edixerunt. Sic in genere non solum temere litigantibus dictae sunt poenae eaeque sat rigidae ³⁾, quinimo et remedium indultum est partibus, iusiurandum calumniae, quo sibi a se inuicem ab eiusmodi vexis prospicere possunt ⁴⁾, verum et inficiationem in specie voluerunt impunem haud esse ⁵⁾, et praeterea laborarunt, vt veritati vbique suae vindiciae haud deficerent.

1) in Aulular.

2) Imperii pura atque domesticis, vid. largiter allegatas apud b. *Maxzelium* in dissertat. de processu executiuo §. 1. not. g. h. i. k l.

3) pt. I. de poen. temer. litigant.

4) Ius Canonicum eorsque extendisse hoc notum est, vt praestito generali, indistincte nihilominus adhuc speciale exigi possit. Sed praestito ius romanum in Nou. 49. c. 3. conf. *Ayres* de abusu iuramentor. e republ. proscrubendo. add. *Mev. P. 2. Dec. 324. nr. 3.* et *Leysér* sp. 121. m. 4. iunct. sp. 137. m. 2. Quamquam autem in casu negationum iusiurandum calumniae coincidere fere videatur cum iureiurando iudiciali, tamen id praefendum; partim, quia iudiciale, cum in eo transactio delitescat l. 2. D. de iureiurand., non vbiuis nec aliter quam in causis priuati arbitrii locum habet *Boehmer* ad D. lib. 2 tit. 15. §. 7. partim ob expensas, quas praestito iudiciali praxis compensat, cum iuramentum calumniae non tale quid operetur Ord. Dicast. prouincial. aul. P. 2. tit. 16. §. 6. partim et, quia illud irrettractabile, secus ac hoc l. 31 D. de iureiurand. l. 1. C. cod.

5) Sic

- 5) Sic litrem inficiendo crescere constat c. gr. in actione L. Aquil., in deposito miserabili, add. §. 26. I. de act. l. ult. D. de R. V. Auth. contra C. de N. N. P.

§. 2.

Sub vindiciis veritatis legibus introductis ad notissimos illos modos me respicere probatorios, quis est qui non videat. Est autem probatio generaliori in sensu, et quidem *proprie* sumpta: actus iudicialis, quo iudici fidem de veritate aut falsitate facti adsertivae alterutrius litigantis controuersi hinc dubii facere nitimur ⁶⁾. *Proprie* dixi; nam et *improprie* aliquando vox sumitur, qua tamen adceptione nil denotat aliud, quam ipsum probandi modum aut medium, legibus stabilitum et publice adprobatum ⁷⁾. Hoc sensu sumptam dupliciter diuidi, in artificialem et inartificialem, huius autem tres iterum esse, aut species dicam? aut partitiones, probationem quippe per instrumenta, per testes, et iuramenti delationem, vel ipsis, opinor, dupondis notum est.

6) Subductis tantummodo verbis: *aut falsitate* strictiorem omnino significatum habebis.

7) vid. *Strauch.* dissert. XXV ad ius Iustinianum thes. VIII.

§. 3.

Connexio primi et paragraphi praecedentis luculenter ostendunt, probationem mihi magis beneficium esse, quam ut recte censerem pro onere posse persuasum habeam. Ita vero, ut praeliminariter mihi cum illis conueniat, qui in legibus tamen hinc inde et saepius ⁸⁾, tersa oneris adpellatione probationem venire in contrarium vrgent, ante omnia moneo, principaliter quidem, ipsa quoque docente curatori inspectione, intellectum me velle de illa, quam §pho praecedente *improprie* ita dixi, probationis adceptione: hanc beneficium esse res ipsa loquitur. Sed si et ad ipsam *proprie* ita dictam probationem me verto, immo nec hanc simpliciter pro onere posse putari crediderim; quum vltro pateat, distinguendum esse potius, et sedulo secernendam ipsam probationem
a facul-

a facultate probandi. *Illam* vti lubens cerro respectu onerosam adgnosco, ita tantum abest, vt onerosam *hanc* habeam, vt non posse non eam pro benefico potius iuris indultu censi et aestimari vtiq; arbitrer.

8) vid. c. gr. l. 22. D. de legat. II, et l. 10. C. de N. N. P.

§. 4.

Indulserunt autem hanc litigantibus facultatem vtraque iura, tam naturalia quam ciuilia: quinimo haec illam eoque fauore prosequuta fuerunt, vt in quantum id equidem absque protelatione causae procedere potest, ampliandam eam magis quam restringendam iudicauerint ⁹⁾. Operae fortasse pretium erit, rationem fauoris paullo altius subduxisse: Reipublicae interest, vt iustitia administretur; iustitia suum cuique tribuit: hoc fieri non potest sine dextra legum applicatione ad facta: eo ipso supponitur notitia facti, vere ita gesti, vti litigans adserit: notitia iudici probationibus supeditatur: hae praeuiam probandi facultatem supponunt: Ergo reipublicae vtiq; interest, non modo litigantibus esse hanc facultatem, eamque et reuera *exerceri* ab iis; sed et ampliari eam magis quam coangustari debere.

9) l. 21. in fin. C. de haeretic.

§. 5.

Litigantibus dixi indultam hanc facultatem. Non ergo auctori solum sed et reo est vindicanda. Qua *illum* haud equidem necessarium duco, demonstrare hoc pluribus. Fac, iura praesumere *pro* eius intentione; et casus certe rarissimus erit, quo facultatem hanc ille nihilominus vrgeat. Fac, ei *non* adstipere iuris praesumptionem; et, habita ratione, lis num affirmatiue an negatiue sit contestata, posteriori in casu, salua iustitia, neuiquam ei iudex facultatem hanc denegabit: quomodo ille enim leges adplicare ad facta iam poterit, quorum ipsi adhuc notitia deest? certe praepostere. At vero qua *reum*; an adhuc dubitas? quidni enim et ei iura

iura indulserint beneficium, quod actori tribuerant, cum tamen illius partes prae partibus huius semper favore digniores habuerint? maxime; cum quousque alteruter adferum alterius arguit falsitatis, et praetensam hanc falsitatem probare se velle insuper profiteretur, factum adhuc controuersum et dubium adsit, hinc iudici nondum talis dici possit facta fides fuisse, vnde suum cuique tribui possit. Quo ipso conspicitur, quod, sicuti ex parte *actoris* facultas se illa potissimum prodit intuitu fundamenti intentionem constituentis; sic iam ex parte *rei* in eo se exferat, quod illi sit licitum, probationem ab actore iam factam arguere falsitatis, eamque, probando directo contrarium eius, quod ille probauerat, rursus *elidere*: hoc *reprobare* vocatur: reprobatio ergo est species probationis ¹⁰⁾, ad elidendam ab altero iam factam probationem, ab eo suscepta, contra quem hactenus alter probauit: vnde; quum reprobatio, quatenus haec reo competere cogitatur ¹¹⁾, praeniam actoris probationem supponat, facultatem hanc regulariter, vti ex parte huius *principalior*, ita ex parte rei secundariam tantum esse et *minus* principalem, simul adparet.

10) An vero iisdem et modis peragatur, non huius est loci inquirere pluribus. vid. interim *Carrach* de reprobatione per delat. iurisiurandi licita.

11) Nonnunquam enim et actori competere potest; quod non tantum contingit, quando praesumptio iuris ab eius est partibus, sed et intuitu exceptionalium rei, quippe quae reum actorem efficiunt, quotidie euenit l. 19. pr. D. de probar.

§. 6.

Facultatem probatoriam competere litigantibus, fatis, opinor, huc usque euictum. Sed cuiusnam illa sit indolis, iam ordo me ducit, vt porro inuestigem. Facultas scilicet omnis coniuncta vel esse potest cum necessitate morali, siue ea sit absoluta, siue sit hypothetica; vel non. *Hoc* casu vti liberam, ita priori, et quidem vel absolute vel hypothetice, obligatoriam dici, res ipsa loquitur. Quam ergo ad speciem referenda facultas probatoria erit? Non vniam hic admitti in-

B

spectio-



speculationem est in aprico. Alia se enim responsio offert, si dictam hanc facultatem in relatione ad eam, quam *improprie* dixi, probationem spectaueris; quo quippe intuitu libera dicitur ¹²⁾; alia, si referatur ad *proprie* sumtam. Ita enim per se adparet, ante omnia distinguendum inter eam, quam *pro-* et *re-* probandi facultatem adserui supra. *Hanc* vti obligatoriam appellare nescirem, quia nulla hic alia obligatio adest, praeteream, quae in regulis prudentiae nititur; ita qua *illam* res iterum eo redit, vt distinctio adhibenda: an adsertum alterutrius litigantis ita sit comparatum, vt si iudex simpliciter ei fidem haberet, alteri exinde praepudicium nasceretur (qua causam scilicet concernentem); an tale non sit. Posteriori in casu vti saltem haud obligatoria, immo nec, ex *alia* ratione, semper libera dici potest: ita priori, aut iura pro tali adserto praesumunt; aut non. Quum praesumptiones iam ipsae quodammodo probationem constituant, ideoque probari demum haud debeant, quae certa ratione probata iam sunt; intellectu est facile, cur *priori* in casu liberam dico, quam *posteriori*, dummodo comparata sit ita adsertio, vt per rerum naturam probabilis sit ¹³⁾ hypothetice leges obligatoriam; effecisse praecedentia doceant ¹⁴⁾.

Coeterum, cum superaddita haecce obligatoria qualitas non possit non sequi suum subiectum, sic vix est vt monogram, quum facultas haec soepe dicta ex parte actoris regulariter principalis, ex parte rei vero tantum secundaria sit; eo ipso ex regula principaliter quoque illum, reum autem solummodo secundo obligari ¹⁵⁾.

12) Vid. *Schaumburg* ad D. lib. XXII, tit. III, §. IX, et *Schoepfer* de iurament. iudiciali sine probat. delato-conferat. et tamen *Schaumburg* tit. de iureiur. §. 5, et *Carrach* l. cit.

13) Vid. l. 23. C. de probat. iunct. l. 10. C. de N. N. P. et *Assmann* de qualitate negatiuae eiusque probatione.

14) Respexisse vero videntur, sicuti per probatoriam facultatem eius, cui indulta, fauorem; ita per superadditam hancce qualitatem obligatoriam praesertim fauorem eius, contra quem fieri probatio debet; quo ipso perspicitur, cur intuitu reprobationis, cum plane nullum in eum, qui hucusque probauit, interesse cadat, vnde petere velit, vt probata ipsius ab altero reprobentur, quippe quod magis ipsius interest

interest vel minime fieri, in sola, quam prudentiae dicunt, obligatione subsisterit.

- 15) Nec tamen a me ipso sic dissentire me putes. Quanquam enim ad reprobandum neminem obligari, sed reprobatoriam facultatem liberam esse modo statuerim; certe tamen nil impedit, quin si casus existit, ubi iure quis suo uti intendit, nihilominus possit obligationis idcirco, praesertim intuitu *temporis*, ob ipsam illam, quam supra adieci, limitationem notabilem, in quantum id scilicet absque protelatione causae procedere potest, applicabilis esse; et hoc est quod loquor. Deinde nec unice innuo reprobatoriam facultatem, sed quum reus, quem excipiendo dixi actorem evadere, exceptiones quoque suas probare teneatur, neque minus de illis intelligi volo; maxime, cum leges cum diserte, non nisi secundo, ratione earum obligare voluerint l. 9. C. de except. et l. 19. C. de probat.

§. 7.

Obligari aliquando dictum est litigantes, ut utantur hac facultate. Declaratur autem haec obligatio per ita dictam sententiam iudicis interlocutoriam. Hanc ille pronunciat, quando ventilata utrinque iam causa dubium ipsi adhuc in facto superest: eamque litigantes vel expectant; vel non. Posteriori in casu *anticipasse* dicuntur. Quicumque enim facultate morali gaudent, ratione termini a quo liberum regulariter arbitrium habent illa utendi, quatenus aliunde haud forsitan, immo nec intuitu *exercitii*, suspensa. Qualis quum autem suspensio qua probatoriam facultatem nullibi adsit ¹⁶⁾; ultro inde iam sequitur, licere et litigantibus inexpectata sententia, quam dixi, declaratoria probationibus uti, hinc eas anticipare. Si ergo anticipant, vel probanda quae erant re ipsa probant; vel non. *Hoc casu tantum abest, ut excidisse iam eos facultate existimes, ut potius experientia quotidiana testetur, pronunciarum solere: würde Kl. intra terminum legalem besser als bisherig geschehen beweisen, daß ic. So ic. 17).* Hucusque de casu quando anticipant. Sin vero *expectant* declaratoriam iudicis (et hoc regulariter itidem licet, nisi aut qualitas causae aut genus processus aliud suadent) quaestio se mihi illa iam offert, quum in ipso adeo casu, quo liberam dixi probatoriam facultatem, quanto magis non ergo ubi per se iam obligatoria est! intuitu temporis probaturi nihilo-



minus obligentur : *quando scilicet et quousque haec obligatio currat?* Cuius quidem quaestionis cum duplex sit visio, alia ratione termini, quem dicunt a *quo*, alia ratione termini ad *quem* ita dicti: de illo sequente, de hoc in §phis vlterioribus.

- 16) Nisi forte referre casum huc velis de probatione in perpetuum rei memoriam ex parte actoris in Ordinat. Dicast, aul. prouincial, P. 2. tit. 25. §. 2.
- 17) Neque enim exercitium probatoriae facultatis, sed lapsus termini probatorii a probando excludunt conf. *Seryck* de probationis probatione meliori vulgo *vom besserer Betweis*.

§. 8.

Manifesta se vero qua priorem quaestionem inter *pro-* et *reprobationem* differentia prodit, exinde oriunda, quod sicuti dictum, et ipsa quoque formula sententiae innuit ¹⁸⁾ ad probandum obligatio adest moralis, non autem ad *reprobandum* quis itidem obligatur. Eo scilicet ipso iam satis adparer, quum obligatio, quae non adest, declarari nec possit, ideoque nec sententia iudicis intuitu *reprobationis* declaratoria sit, cum vnice eam linquat in arbitrio litigantis: alium quoque terminum statui oportere, vnde dici quis possit ad *probandum* obligatus; alium, unde currat facultas *reprobatoria*. *Illum* vti ipsa sententia suggerit; vt ergo obligatio efficax adsit illo statim a die, quo vires rei iudicatae sententia nacta: ita *quae hant*, quum sententia libertatem moralem adgnoscat, ideoque ratione termini ne cogitabilis quidem obligatio sit, nisi iure quis suo se usurum declarat, prono alueo sequitur, eodem demum ex tempore terminum currere, ex quo quis, *reprobare* se velle, aut terse declarat, aut, ut luculentius dicam, obligatus est declarare. Sed quando est obligatus, vt iam ita declarat? Non antea puto, quam casus existit, vbi effectum sortiri *reprobatio* poterat. Hunc autem habere non aliter potest, antequam ille, cui quippe primario *probatio* incumbere, non subiit eam tantum et vere absoluit; sed et id, quod probare necessum habebat, reuera probauit. Hac de re ergo, priusquam *reprobaturus* perfecte est obligatus vt mentem declarat, ante omnia illi quoque *constare* debebit. Liberam enim adserui facultatem *reprobatoriam* seu
in

in *arbitrio* positam : quomodo vero quaeso arbitrari quis poterit, an sibi conducatur exercitium facultatis, an potius ea vel minime opus, antequam sciat, quid et in quantum probauerit alter? maxime, cum probatio alterius eiusque plenitudo id demum constituat, vnde vnice regi determinarique memoratum ipsius arbitrium potest. *Deinde* facultas haec saepe dicta secundaria tantum est; tendit enim ad elidendam ab altero iam factam probationem: eo ipso non tantum ponitur probatio praecua, sed cum et praererea elisibile prorsus dici non possit quod nondum existit: quomodo obligari reprobaturus iam poterit, antequam id, cui quippe responderet, probatio scilicet, plenissime absoluta? Et denique *tertio*, cum reprobatio sit species probationis; haec autem pro actu sumta onus constituat, superfluo vero onere sit nemo grauandus; hoc autem non ita raro contingere possit, si reprobari deberet, antequam adpareret, quid alter probauerit; certo certius inde constat, eo demum ex tempore, terminum, de quo fermo, reprobatorium currere, ex quo probatio, quae alteri incumberebat, non tantum est absoluta, sed et insuper patet, probanda reuera probata fuisse 19).

Cum autem declaratio illa tam tacite fieri possit, quam etiam expresse, *hoc casu*, si iudex tunc terminum praefigit, a die insinuationis decreti hunc terminum currere per se intelligitur.

18) Formula esse solet: Die weil ic. so ist Kl. den Grund derselben und so viel ihm daran verneinet, Beklagens Gegengeweis und andere rechtliche Nothdurft vorbehältlich, intra t. O. zu erweisen schuldig.

19) Qua pro- et reprobationem per *documenta*, immo et si *illa* per testes, *haec* autem documentis peragi vult, inter omnes hoc constat vid. *Gail.* lib. 1. Obs. CV. nr. 4. At vero si *utraque* testibus fieri debet, non aeque est expeditum. Mirum profecto videri id poterat, quare scilicet statuunt, reprobationem per *documenta* currere, vti dixi; at eam per *testes* iam antea currere, immo ne quidem eorsque patere; quum tamen haec, quae per testes peragitur reprobatio, multo magis sit onerosa quam illa per *documenta*, quare multo magis et ibi merito dicta obtinere debebant. Sed metuunt subornationem. Ille metus cum autem, quanti sit aestimandus, infra pluribus exponetur, id tantum hic moneo, quanquam et ille forsitan videri sic poterat qua probationem seu producentem, post didicita atrestata repetitionem examinis desiderantem male tamen



hunc quoque trahi ad productum seu reprobationem; cum manifestam inter utramque rationem diuersitatis praecedentia prodant. vid. *Schöpfer* de reprobatione c. 2. nr. 3. 5. 6. et 19 seqq. et *Siryck* de reprob. post publicat. attestat. c. 3. §. 12. seqq. Ceterum vnicè loquor de iure communi. Iure etenim provinciali Mecklenburgico nostro, vt et aliis passim statutariis iuribus, aliter obseruari in propatulo est. vid. qua Megapoli nostram post Ordin. Dicast. aul. provincial. P. 2. tit. 30. §. 1. Constitutionem de 1766 d. 6ten Febr. vbi tamen haud praeteruideas verba uelim: so viel thunlich; multo minus existimes, sublata sic quoque in Megapoli esse, quae de secundaria qualitate facultatis reprobatoriae supra adserui. Neque enim et adhuc hodie, etiamsi in reprobatione suscepta defecerit, quis prius tenetur, antequam ille, qui primario et principaliter probare debebat, re ipsa probauit.

§. 9.

Quum satis ita iam dictum de termino a quo, nil reliquum sentio, quam vt, *quousque* haec demum obligatio currat, seu quae adhuc qua terminum *ad quem* monenda supersunt, breuissimis addam. Tota res vero redit ad sequentem distinctionem: an scilicet iudex praefixerit terminum, intra quem fieri probatio debeat; an indefinite loquutus haud illum expresserit. Si prius, terminum illum peremptorium esse ²⁰⁾, sin posterius, durare hanc facultatem vsque dum iudex in causa concludit ²¹⁾, tralatitium est.

20) Ordinat. Cameral. Imp. de 1508. tit. 2. §. 11. Rec. Imp. de 1600 §. 133. Idem et in Megapoli, immo et ante Constit. de 1766. iam obtinuisse satis adparet ex Ord. Dicaster. aul. provincial. P. 2. tit. 4. §. 6. et tit. 12. §. vlt.

21) Nisi *lex* forsitan specialiter praescripserit terminum, quod factum e. gr. qua exceptionem spoliū intra quindecim dies praecise probandam e. 1. de restit. spol. in 6.

§. 10.

Terminum dixi peremptorium esse. Litigantes iam ergo vel illum *obseruant*; vel non. *Posteriori* in casu vel vera vel praesumpta contumacia adest. Si *vera*, nullo modo facultas iis integra manet ²²⁾; si tantum *praesumpta*, vel propria partitis, vel Aduocati culpa neglectus est terminus. Si *posterius*, restitutione in integrum aliquando succurritur, ²³⁾ *sin prius*, nonnisi adpellantibus integra manet ²⁴⁾. Sin vero *obseruant* termi-

terminum partes, vel, probanda quae erant, re ipsa probant; vel non. *Hoc casu, vel terminus adhuc integer currit; vel lapsus iam est. Si lapsus iam est, vel de eadem vel de adpellationis instantia quaeritur. In hac utriusque nouis probationibus locus* ²⁵⁾, *sin vero de eadem instantia sermo, vltiori probationi haud locus relinquitur* ²⁶⁾. *Quodsi terminus autem adhuc integer currit, omnino aditus patet ad vltiorem probationem* ²⁷⁾.

22) vid. *Engelbrecht* Obseruat. select. for. Obf. LIX.

23) vid. *Manzel* de Aduocato fatalia negligente collat. cum *Select. iuridic. Rostoch. fasc. 4. spec. 15. qu. 3. add. Wincop* de restit. contra negligentiam procurator. circa laps. fatal. et *Fleischer* an mandans; si procurator tantum in bonis non habet, vnde mandans indemnis seruetur, possit instituire restitutionem in integrum.

24) vid. *Böhmer* ad D. lib. XLIX. Tit. 1. §. 6. et *Stryck* de probat. probatione melior. c. 3. nr. 18. et *Mev. P. 2. Dec. 153.* Minoribus interim, et his qui iura minorum habent, restitutionis auxilium itidem patet l. 2. C. si aduersus delict. l. 36. D. de minor. et c. 3. X. de in integr. restit.


25) Rec. Imp. de 1555. tit. 33. §. 3. et R. I. nouiss. §. 73. et 74. add. *Boehmer* l. c. lib. XLIX. tit. 6. §. 11.

26) Equidem adhuc admittunt iuramenti delationem *Puffendorff* in *Obseruat. iur. vniuers.* Tom. 1. Obf. CLIV. *Struben* in seinen rechtlichen Bedenken Theil 1. Bed. 390. *Brunnemann* in process. ciuil. c. 23. nr. 8. *Schoepfer* cit. diss. de iurament. judicial. sine probat. delat. c. 3. nr. 20. ibique *Frantzkius*. Sed an recta proba haec sententia sit, iam meum non facio.

27) Nou. 90. c. 4. et supra not. 17. §phi 7.

§. II.

Termino salvo vltiori adhuc locum probationi relinqui mox est adsertum. Qua probationem per documenta et iuramenti delationem ²⁸⁾, largiuntur hoc quoque facile omnes. At vero si *testibus* peracta probatio, distinguere solent: an publicata iam attestata, an adhuc clausa. Si prius; ne in ipsa quidem adpellationis instantia vltiorem examinis repetitionem admitti debere, sunt qui existimant ²⁹⁾. Alii hoc quidem admittunt in adpellationis instantia ³⁰⁾; imo et in prima, vbi tamen distinguunt inter productum et produ-



producentem, et quod illi concedunt, tamen denegant huic³¹⁾ alii inter testes eosdem et novos³²⁾ alii inter novos et eosdem articulos³³⁾, alii denique indistincte concedunt, certe in arbitrio iudicis quaestionem hanc volunt positam esse³⁴⁾: in tanto opinionum conflictu, quid ergo et quaenam tanquam optima praeferenda?

- 28) puta casum de iuramenti delatione post factam aliunde probationem adhibenda, ob ea quae dixi §. 1. not. 4. in fin.
- 29) *Brunnemann* in proc. civil. c. 28. nr. 73. *Puffendorff* loc. cit. tom. 1. Obs. CLVII. collat. cum tom. 2. Obs. CVIII. et CXLVII. et tom. 3. Obs. CIX. *Carpz.* lib. III. Resp. CVI. et a *Sode* quaest. pract. legal. controuers. quaest. V.
- 30) *Mev.* P. VIII. Dec. XLVIII. *Wurmser* in Obs. pract. tit. XVIII. Obs. XXVII. *Mynsinger* Cent. 1. Obs. XLI. *Schoepfer* de repetendo test. examin. c. 2. nr. 29.
- 31) *Schoepfer* et *Stryck* cit. diss. de reprob. 1. cit.
- 32) *Stryck* de probat. probatione melior. c. 3. nr. 104. et *Struben* in rechtlichen Bedenken Th. 1. Bed. XLVI. add. *Schoepfer* de repetend. test. exam. c. 1. nr. 3. 4. et 6.
- 33) ob c. 17. et 35. X. de testib. *Gail* lib. 1. Obs. CV. nr. 9.
- 34) *Select. iur. Rosoch.* fasc. 2. spec. 27. quaest. 6. *Zaunschleiffer* de off. iud. suppletor. p. 2. concl. 12. nr. 14. *Berlich* p. 1. concl. 40. nr. 24. et 26.

§. 12.

Iudicium sane nullum de quaestione hac ferri potest, anrequam causam mirifici huius dissensus inuestigaueris. Legas autem et perlegas, quotquot habebis, Doctorum volumina; et nullam fere aliam rationem inueneris, quam, quem supra iam dixi; metum subornationis. Ille scilicet, quo magis aut minus animos occupauit, eo lenius aut rigidius sentientes reperies. Hos quidem, qui nec in ipsa adpellationis instantia nouum testium examen admitti contendunt, vehementissime ille luculenter excruciat, cum ius ipsum Canonicum in adpellationis instantia repetitionem examinis quodammodo largiatur³⁵⁾. Alii, qui modo sic modo aliter, ut dixi, distinguunt, aut minus aut magis illo laborant: quare operam puto me minime perditurum, si, qualis ille sit pavor, an iustus an non, cuiusnam fundamento potissimum innitatur, et quanti sit aestimandus, tam sanae rationi quam reliquae iuris legumque analogiae

giae conformiter ponderem. Hoc facto, vel sponte sua, de dicta quaestione quid rectius sentiat, cuilibet adparebit 36)

35) in cit. c. 17. X. de test.

36) Coeterum vniice casum intendo, quando nihil in priori exarinc, aut certe non quantum *sufficit*, in rem producentis a testibus dictum. Tres scilicet enim dantur casus distincti. Testis quippe in priori examine aut ita, vti intendebat per illum producus, ideoque pro producente, hinc *bene* deposuit; aut male, seu *contra* producentem, testificando directo contrarium eius, quod probare per illum producus volebat; aut denique hoc quidem respectu indifferenter, at tamen nil etiam salutare pro producente, certe non quantum satis, sed e. gr. er *Wisse es nicht u. s. w.* Prior ille casus iam ad me non spectat, quia, cum probata ita iam sint quae probari debebant, vix casus existet, quo repetitionem nihilominus producus desideret. Alter nec minus iam a me alienus. Siue enim eosdem siue alios testes repetere velit, regulariter fieri hoc minime poterit, quin manifestissimum eo ipso animum prodatur protelandi vniice item seu causum. Cui enim bono inferuire producenti repetitio poterat? Quodsi testes *eosdem* repetere vult, hi aut ad priora se simpliciter referunt; et vtilitas cessat: aut vero iam *bene* deponere gestiunt; et ne hoc quidem producenti conducet, quia, cum sibimet ita iam contradicunt, per notoria ipsis fides haud fit *Schoepfer* in Synopsi ff. tit. de testib. nr. 58. Quodsi vero *diversos* repetere cupit, fere eadem ratio, nam et hi vel prioribus conformiter dicunt; et vtilitas deest: vel prioribus contradicunt; et proficuum producenti nullo modo hoc erit, quia, cum ita singularitas euenit (obstativa sic dicta) iam nihil probatum *Schoepfer* d. l. nr. 59. quo ipso iam vero nil reliquum manet quam animus protelandi: prioribus quippe his testium dictis semel producto pro reprobatione in omnem euentum ex post feruituris. Qualem cum casum ob oculos habuisse Imperator videatur in Nov. 90. c. 4., sentiente vniice aliter *Seryckio* cit. diss. de reprobatione c. 3. §. 28, haud incongruum duxi hic ea inferere. Vltimus ergo demum huius est loci.

§. 13.

Quamquam autem me minime fugiat, expresso textui iuris Canonici 37) hunc metum inniti; quum tamen sit expectatum, non vltra inter nos hodie retentum dici ius Canonici posse, quam in quantum nec sacrae Scripturae nec symbolo fidei, nec libertati conscientiae, nec denique *sanae rationi* aduersum 38): quid impedit, hicce merus cum sanae rationi manifesto repugnet, vanum cum, inanem, et cerebrum


C

num



num adserere? Ita vero ut sentiam, sequentes potissimum rationes me mouent. *Primo*, nullam equidem video, et dubito certe, an quis viderit vnquam, etiamsi vel maximus dicti metus sit vindex et acerrimus propugnator, nullam video, inquam, tantum abest ut rationem adaequatam concipere possim, ut nec speciem rationis deprehendere liceat, nec vllam vnquam rationem diuersitatis paullo solidam et fundatam, unde magis metuenda in repetito examine subornatio sit, quam illa in primo expectari debebat. Pone producentem tam hominem nauci, ut ad falsa dicenda aut reticenda quae vera corrumpere possit; pone simul et testes, qui huiusmodi in se corruptionem admittunt, haud minus abominabiles: (ponendi sunt autem hi duo simul, quum deficiente aut vna aut altera parte nec cogitabilis quidem subornatio sit) et duobus his positus me hercle non adsequor, cur demum in repetito examine metuatur, quod rebus sic stantibus non minus in primo verendum erat. Aut ergo omnem omnino modum probandi per testes reprobare debebat canonica dispositio; aut certe hallucinatur. Aut an forsan existimas, faciliorem in secundo subornandi rationem esse, quam quidem in primo et antea erat? immo potius statuo, multo adhuc maioribus interdum hic illam difficultatibus premi, quam quidem in primo examine premebatur. Nonne enim, si testes retractare iam vellent quae hactenus deposuerant, hi sibimet ipsis in os contradicerent? periurii adcularent? poenae reos hinc facerent? quid ergo, nonne iam multo minus in secundo metuenda subornatio erit, quam quidem in primo a dicti scilicet furfuris hominibus erat? Rationem intelligis, quare probatissimi et optimaee notae Icti dudum hunc quoque metum iisdem a testibus in repetito examine iuerint profligatum. Audi, ut ne multis te morer, laudatum STRYCKIUM ³⁹) breuiter differentem: „ — timor subornationis, qui a iam dudum examinatis omnino abest, quod hi communiter soleant se ad iam dicta referre,; Accipe et b. STRUBENIUM ⁴⁰) in vernacula nostra ita se exprimentem: „Wolten die Zeugen im letzten Verhör die Sprache ändern, so müssen sie sich selbst des Meineides — beschuldigen“. Quid inquam clarius! Nec interesse quid puto, an iidem an autem diuersi

diuersi articuli subsint. Pone enim, et diuersissimos illos articulos esse, ab eodem formati, vltimato non tamen non poterunt collineare in idem, in quod priores directi iam erant. Ita vero et semper, tam eadem causa quam ratio manet, cur quippe verenda hic minime subornatio. Testes enim si resiliere a dictis iam vellent, aut ita se gerere, vt nouae hae depositiones ad articulos novos cohaerent haud satis cum prioribus dictis, etsi non quidem explicite et directe, implicite sibi nihilominus contradicerent; et satis incautum esse iudicem oporteret, qui formati in continenti interrogatoriis congruis fraudem haud statim et in continenti detegeret. *Deinde* posita subornatione tam producens quam testes ponuntur abominabiles; vtrique enim manifestissimum falsum ⁴¹⁾ et non hoc solum, sed et insuper testes periurium committunt. Illam ergo dum metuis, non potes non simul eo ipso praesumere, tam producentem quam testes falsarios fore et hos insuper periuros: sed quaenam ista praesumptio! an er tu, ita qui times, conciliare hanc pores cum tritissima alias sanaeque rationi tam congrua regula, quod quilibet in dubio praesumendus sit bonus? an et tam facile cogitabile tibi immemorem aliquem aeternae salutis eousque futurum, vt eam abiiciat in fauorem alterius? et si vel hoc largiar aliquando contingere, an tamen ex iis, quae raro contingunt, regula strui, et generale quid inde contra omnes omnino testes, immo homines, stante iure et sana ratione, euge! praesumi poreff? Praesumptio bonitatis in ipso adeo casu, vbi cum quadam inclusua delicti praesumptione concurrat, hanc, vtpote fortior, notorie vincit: et hic, vbi ne hilum equidem adest, vnde argui dolus et malitia possint, ni forte malitiam adpellare id velis, quando quis, dum se aut nihil aut certe non satis probasse iam videt, vltius adhuc probare intendit, tu tibi non tantum nihilominus fingeres hanc doli praesumptionem, et efformares in tuo pro lubitu cerebro, saltem vt humanitati invreres notam, sed et fictitium hocce portentum, ex praekonceptis opinionibus vnice natum, et nulli vnquam fundamento solidaeue rationi innixum et superstructum, ipsi adeo, quam dixi, bonitatis praesumptioni, huic, inquam, sanae rationis



nis dictamini, iungeres? immo et anteferes? hanc vinci patere-
ris! — Mirum eo magis videri debet, quomodo us Canonicum,
quod tamen in admittendo testimonio testis eousque est rigi-
dum, vt simpliciter neminem, qui non vitae honestioris et quem
ipse adeo productus haud arguit ⁴²⁾, qua testem adnoscat, de
hoc nihilominus teste, viro, inquam, honesto, bono, probato,
et quem ipse productus reprobare non potuit, nihilominus
talia praesumere possit! — Adcedit formido poenae sat insu-
per asperae ⁴³⁾ quae et ipsos homines nauici sufficere poterat
detertere iam sola a proposito malo: quid ergo; an adhuc
existimas, euenire tam soepe hoc vitium posse, vt in genere
ideo contra omnes omnino homines quid statui possit, et specia-
lis quasi quaedam praesumptio iuris pro facta quouis in casu sub-
ornatione, hinc dolo commisso, inde recte se formet? Quo certius
constat, non nisi ex his, quae plerumque contingunt, recte praes-
sumi; eo magis extra omne iam dubium positum, quod si et ea,
quae primo attuleram, ad solos testes *eosdem* restringere velis,
tamen nec aliter de *diuersis* sentiendum. Iudex, vt iam dixi,
et prudens et cautus nullo negotio fraudes et horum; si forte
quae sunt, detegere poterit; et productus praeterea, si vera
et iusta suspicio adest, aut statim ab initio impetrabit ne ad-
mittantur, aut contra personas et dicta eorum vbilibet ipsi
iura sacra testata manebunt. Quod si vero suspecti hi testes *haud*
sunt; quid tamen metuitur? quid extimescis? quid ominaris
tibi denique mali a viro honesto bono, qualem ipse adgno-
scis, qualisque in dubio praesumitur quilibet? *Tertio*, ius
Canonicum manifesto miscet occasionem cum causa, et quae
sola tantum occasio erat, pro causa vendit. Sic ipsa res lo-
quitur, quando casus contingit, vbi re vera subornatio facta,
quale quid tamen perraro contingit, non in repetito examine,
sed in ipso potius subornante et his qui subornari se passi sunt,
delitescere causam. Hoc autem haud intelligit canonica dis-
positio; sed quod vitio personarum erat vnice tribuendum,
id publicationi attestatorum et repetito examini, quae sola ta-
men occasio eaque maxime contingens et accidentaliter erat,
pro vitio vertit, et generale quid inde statuit contra omnem
repetitionem examinis faciendam, quando semel publicata
attestata fuerunt; quid autem ineptius? et nonne si conscien-
tiam

tiam semel deponere volebant et producens et testes, tale quid fieri multo ante iam poterat? Remitto me ad ea quae supra iam dixi; vnicum tantum hic locum subiungens ex citatis SELECT. ROSTOCHIENSIBVS 44) egregie ibi dicta firmantem et illustrantem. En ipsa verba: „Ob es gleich gewis ist daß ic. so kann man doch überhaupt nicht bergen, daß sothaner Bewegungs-Grund von nur mässigen Gehalte sey; allermaassen wenn von der Furcht der subornation wider den Beweis durch Zeugen sollte beständig argumentiret werden, man überall und von Grund aus den ganzen von Gott und Menschen von jeher bestätigten modum probandi per testes, verwerfen müste.“ Aurea dicta! nec poenitebit te vnquam, beneuole lector, integra legere, quae copiosius dare et studium breuitatis et angustia plagulae non mihi permittunt. Quarto, ius Canonicum, vti a maxime particulari ad uniuersale, ita a mero posse ad esse concludit; et denique Vto, cum ad id iniungantur et fiant probationes, vt veritas patefiat et ponatur ob oculos, per commentum hoc metus contrarium efficit: euidenter enim ita supprimitur veritas! innocens condemnatur! absolvitur nocens, periuria commissa susque deque habentur, et quae reliqua multo plura absurdissima inde fluunt.

Quodsi testium depositiones in priori examine prorsus ita sunt comparatae, vt non nisi reuocatione, eaque minus vestita, haec siue explicite vel implicite fiat, producenti iam amplius consuli possit; eo adhuc iniquius haec dicta suspicio in hunc applicabitur, quo irrationabilius, cum testi sibi met ipsi contrario fidem haud fieri supra statuerim, subornationem vereri, quam nullo sibi tamen vnquam vsui fore producens iam inde per se fat intelligit 45).

37) Clem. 2. de testib.

38) Westphal de consuetud. ex sacco sin. libr. p. 133.

39) Loco spha 11 not. 32 citato.

40) Loco ibid. citat.

41) L. 1. pr. et §. 2. D. ad L. Cornei. de fals. et de Sct. Libonian.

42) Ipsi adeo productio ius canonicum permittit exceptionem criminis testis factam praeiudicialiter demonstrare, et eovsque hunc atcer a testimonii dictione Schaumburg ad D. tit. de testib. §. 3.

43) C. C. C. art. 107.

44) Loc. §. 11. not. 34. citat.



45) Quo magis intueor praecepta iuris Canonici qua passum hunc concernentem, eo magis omnis mihi anima quasi et vita fere, quam dicunt, a placitis eius abesse videtur. Non verba facturus sum amplius de Clementina citata, cum de leuidentis earum auctoritate sit insuper constet. Jam tantum inspicio c. 17. X. de testib. vbi in adpellationis instantia tam eosdem quam novos testes repetere datur, dummodo illud fiat super nouis articulis. Sed bone Deus! quare demum in adpellationis instantia sic licitum est, quod in prima instantia pro illicito putabatur. Aut statuitur subornatio; aut non statuitur. Si prius, hanc aequae facile in adpellationis instantia contingere posse per se intelligitur (neque enim rem confici per ea, quae habent *Stryek*, *Mynsinger*, et *Mevius*, ille in cit. diss. de prob. probat. mel. c. 3, nr. 26. iste in Resp. 85. nr. 8. et hic l. cit. P. 8. Dec. 48. nr. 10. vel me non monente quilibet videt): quae ergo ratio, vbi anima legis! Deinde, cur demum conceditur super *novis* articulis. Super *iisdem* multo adhuc difficilius procedere subornationem vel inde patescit, quia, si testis retractare iam vellet, paullo antea dixi, hoc fieri non posset, quin sibi sic terse et explicitè contradiceret; quam e contrario in repetitione ad *novos* articulos *implicita* tantum contradictio euenit, si testis ante dicta hic quidem retractat. Illud autem multo adhuc minus timendum esse quam hoc, sana ratio docet. Quid ergo; cur ita demum, quae posito, metu prohibenda fuissent, omnino concedit, et prohibet vice versa, quae posito quoque metu facillime tamen permitti poterant! Interim inde liceat vtiliter quasi in rem adeptasse, ipso quoque iure Canonico repetitionem licere ad *novos* articulos.

§. 14.

Solui promissa, et sanae rationi repugnare hunc metum ostendisse me satis haecenus puto. Sed et breuiter adhuc ad reliquam iuris legumque analogiam reuocandus nunc erit. Quare *Vto* iam prouoco ad ea, quae supra dixi, de probatione meliori post factam anticipationem adhuc competente. Nonne publicata hic attestata iam sunt, et nonne nihilominus licet probationem hanc meliorem per testes peragere? vbi nam ergo ille tunc metus se exserit? *VII*mo ad casum testium in possessorio iam examinatorum, quos scilicet constat, in petitorio nihilominus, ipso quoque fatente Domino a sode 46), non obstante hoc metu, iterata vice examinari debere 47). *VIII*. ad iustissimam illam praxin, vi cuius depositiones coram Notariis factae, etsi partibus diu ex ipso documento notariali constiterint, nihilominus in iudicio deinceps sunt

sunt repetendae 48): et denique IX. ad adpellationis instantiam, ubi, quia ipsi adeo Recessus Imperii locum hic novis probationibus faciunt, multo adhuc minus memorata canonica somnia obtinent, cum domesticis peregrina notorie postponantur 49). Quodsi ergo in omnibus huius casibus plane nihil metuitur; quare demum in reliquis? aut an alibi forte maius periculum imminet? ego certe non video.

46) loc. §. 11. not. 29. citat.

47) Schoepfer de repetend. exam. test. c. 1. nr. 22. Nec velim existimes, quum ipso petente producto hoc fiat, hinc aliqualis adpareat differentiae ratio, minus congrue ideo hunc casum huc trahi; nam si iuste timeri subornatio posset, iudicis fore omnino putarem, ad auertenda periuria his etiam precibus haud aures praebere.

48) Schoepfer loc. proxime cit. c. 2. nr. 15. Struben l. c. Th. 1.

B. XLVI. et Select. invid. Rosloch. f. 1. sp. 34. q. 7.

49) vid. §. 11. not. 30. citat. Auctores.

§. 15.

Firmari haec adhuc pluribus poterant; sed cum ipsimet illi, qui quadantenus tamen merum hunc fouent, imaginarium eum esse ex parte farentur 50), quid iuuat, cum ente rationis diutius decertare. Ad finem festinans, cum concidente iam ita ratione dissensus, seu differentia putatiua inter probationem per testes et reliquos modos, qua scilicet ducti ad propositam quaestionem tantopere fluctuarunt, non possit non insimul ratiocinatum concidere, brevissimis potius adferri- tionem nunc facio: competere producenti intra terminum probatorium, etiamsi attestata publicata iam sint, omnino ius, uti adhuc in genere probandi ulterius, ita nec minus repetendi examina testium, tam eorundem quam diuerforum, tam ad eosdem quam ad novos articulos, tam in adpellationis quam in prima instantia, dummodo nec 1) in litis protractionem quid tale quaeratur 51), nec 2) leges speciales domesticae obstant 52). Quis quidem deficientibus eo certior sane haec adferri erit, quo magis, uti dixi, reipublicae interest ampliari potius probatoriam facultatem quam coangustari; quoque simul est expeditius, integrum terminum probaturo omnino prodesse debere; nec onere aliquem su-
per-



perfluo onerandum, quod non poterit non euenire probantibus, si vel antequam sciant, quid hucusque probatum, immo et adeo sperantes et expectantes, probanda iam forte probata esse, nihilominus pergere obligatos existimas 53).

- 50) *Myusinger* cit. Respons. 85. nr. 7.
- 51) Quod tamen nec ipsum ultra casum Nov. 90. c. 4. quem supra dedi, tam facile praesumendum conf. interim etiam R. I. noviss. §. 73.
- 52) Quales quodammodo in Megapoli obstant per Ordinat. Dicafter. aul. prouincial. P. 2. tit. 30. §. 1. et Ordinat. Cancellar. Gustroviens. P. 2. tit. 31. §. 1.
- 53) Firmari et adhuc haec insuper poterant ex ipso iure canonico in cit. c. 17. X. de test. (vid. not. 45. §phi 13.) Immo et addere praecidia poteram. Sic qua testes eodem facta publicatione adhuc repetendos praecidium ex *Richtero* ad Auth. Atqui semel C. de probat. fol. 106. nr. 7. refert *Schoepferde* repet. test. exam. c. 1. n. 6. Sed cum res sua luce iam radiet, his facile superfedeo.

§. 16.

Nil fere superest, quam vt et ad productum haec itidem adplicem. Sed cum adplicatio iam sponte se faciat, quippe cum huic reprobatorius terminus per ante deducta ne quidem currat, antequam constet, quid et in quantum probauerit alter; hinc, verbis mutatis, ratione termini ne obligetur hic quidem, antequam attestata publicata fuerunt, et id ipsi adeo canonico iuri sit prorsus conforme 54); iam pedem hic figo; veniamque peto, si responsonem ad contraria, quae obmoueri fortasse poterant, eamque Sectioni secundae dictam, pro tempore cogor ad futura seruare.

- 54) C. 35. X. de testibus et *Stryck* de reprobat. c. 3. §. 13.



vd18

ULB Halle 3
005 353 157




SLB







11. 1781.4 22

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
VANO METV 
SVBORNATIONIS IN REPETENDO
EXAMINE TESTIVM

P 481

SECTIO PRIOR



QVAM
CONSENTIENTE INCLYTO ORDINE
IVRECONSVLTORVM
IN ACADEMIA FRIDERICIANA BVETZOVII
SINE PRAESIDE
PRO OBTINENDIS
SVMMIS IN VTROVE IVRE
HONORIBVS

DIE XIX. OCTOBRIS MDCCLXXXI.

H. L. Q. C.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVATIONI
SVBMITTET

FRIEDERICH WILHELM
STAVENHAGEN
BVETZOVIIENSIS.



BVETZOVII

M. D. C. C. LXXXI.

